

ficando⁶⁸⁾, quorum vestigiis inherere vestra non dedignetur maiestas, precipue pacem et unionem ecclesie sancte dei ac Sacri Romani Imperii, cuius rectorem vos fore citra formidinem de opposito orbis testatur universus, diligencia procurare et usque ad effusionem^{a)} sanguinis stabilire pariter et conservare, occasionem quamlibet scissionis^{b)} aut divisionis penitus rescindendo. Principes⁶⁹⁾ namque regni in se divisi⁷⁰⁾ facti sunt *socii*⁷¹⁾ *furum*, ob quod *Dominus*⁷²⁾ *miscuit in medio eorum spiritum vertiginis*, ut *palpent*⁷³⁾ *in meridie sicut* *(palpare solet cecus)* *in tenebris*, et *candelabra*⁷⁴⁾ *eorum movit de loco suo*, ut *ceci*⁷⁵⁾ *sint et duces cecorum*, et qui *ambulabant*⁷⁶⁾ *in tenebris*, offendunt⁷⁷⁾ et *ceci mente scelera*⁷⁸⁾ *perpetrant*, que in divisione contingunt. *Qualiter* enim superbia in Lucifero regnasset, nisi divisionem auxiliatricem habuisset? Similiter Sathan invidus Adam quomodo de paradiso eiecisset, nisi eum ab obediencia divisisset? Romanam denique rem publicam^{c)} ira quomodo destruxisset, nisi in divisionem Pompeium et Iulium sevientibus gladiis ad intestina prelia concitasset? *Qualiter* denique Troyani per luxuriam fuissent destructi, nisi Helenam a viro suo divisissent? Postremo ipsa invidia christianum Imperium a deo ad instar sancte et individue trinitatis fide, spe et karitate, virtutibus theoloicis, roboratum, cuius fundamentum super christianissimo regno feliciter stabilitur^{d)}, antiquo veneno, quod velut serpens in palmites imperiales et membra eius propinquiora impio^{e)} scelere vomuit, ut concussis columpnis totum edificium ruine subiceret, divisionem inter septem electores Imperii, per quos velut septem candelabra⁷⁹⁾ lucencia in unitate spiritus septiformis⁸⁰⁾ Sacrum debet illuminari^{f)} Imperium, multociens imposuit^{g)}, ut patere poterit antiquorum gesta diligencius perlegenti.

*Fiat*⁸¹⁾ igitur *pax in virtute maiestatis regie et habundancia in turribus* eius, id est in omnibus populis Romano subiectis imperio! Tunc demum colere poterit universus cetus christifidelium pacis auctorem

a) defensionem *Hs.* b) scissionis *Hs.* c) Romana denique res publica *Hs.*
d) stabiliter *Hs.* e) inpio und darnach a(?) getilgt *Hs.* f) illuminare *Hs.*
g) im- getilgt *Hs.*

⁶⁸⁾ *Cicero*: quae tanta sunt in hoc uno quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt *war dem Redner doch zu stark aufgetragen, so daß er es umschrieb.*

⁶⁹⁾ *Gold. Bulle, Einleit.*

⁷⁰⁾ *Vgl. Matth. 12, 25 und Marc. 3, 24.*

⁷¹⁾ *Is. 1, 23.*

⁷²⁾ *Is. 19, 14.*

⁷³⁾ *Deut. 28, 29.*

⁷⁴⁾ *Apoc. 2, 5.*

⁷⁵⁾ *Vgl. Joh. 11, 10.*

⁷⁶⁾ *Matth. 15, 14.*

⁷⁷⁾ *Ps. 81, 5.*

⁷⁸⁾ *Deut. 17, 5.*

⁷⁹⁾ *Apoc. 1, 12.*

⁸⁰⁾ *Vgl. Is. 11, 2—3.*

⁸¹⁾ *Ps. 121, 7.*